

- . 1 . 2 . 3 - 4 . Bei Lüttich . Klappk . 1 . 45 . L . I . 5 . 2 . 5419
1 . 2 . 1 . 2 . 3 . 2 .

Q. D. B. V.

DISSERTATIO
IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
FIDE MANUARIA,

Von

Hand - Geschriften /

QVAM

PRÆSIDE SOLO DEO,
INDVLTV MAGNIFICI
ICTORVM ORDINIS,

IN CELEBERRIMA LVDOVICIANA

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE
IVRE HONORES
RITE CONSEQUENDI
PLACIDÆ

EXCELLENTISSIMORVM DNN.
PROFESSORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

PETRVS CHRISTIANVS WVRM,
VESALIA CLIVENSIS,

Diss. jur. civ.

Die Novembris AMDCC XI.

18/28, Typis VIDUÆ B. JOH. REINH. VULPII, Acad. Typ.

CONFESSIO

CONFESSIO SANCTI JOSEPHI

*PRÆ-NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
VIRO,
DOMINO
BENJAMINO
WURM,
J.U.D., ADMODIATORI
IN OBERNDORFF FIDELISSIMO,
POTENTISSIMI BORUSSIÆ
REGIS &c. &c. &c.
JUDICI QUONDAM GRAVISSIMO,*

*Parenti suo ad aras usque devene-
rando,*

DISSERTATIONEM hancce sacram esse cupit.

AUTOR.



PRÆFATIO.

Postquam studiis Academicis colophon jam tandem imponendus est , accepi mandatum ab iis , quorum voluntati ac jussui standum est, ut ante discessum ex Illustri hac Ludovicianâ *Licentiam impetrandorum Summorum in Iure Honorum* modeste ambirem, ut sic omnia bona sint, clausula dum quoque bona fuerit. Obsecutus sum promptè, & Illustri DNN. JCtorum Ordini mentem meam debito modo aperui, à quo etiam spes, me iri admissum, mihi benevolè facta fuit, ubi prius Thēma quoddam *Inauguralis Disputationis*, prout in more positum est, exhibuero, & præstitero reliqua , quæ Jurium Candidatis præstanta incumbunt. Cogitanti igitur mihi de argumento aliquo , quod non triviale admodum esset, neque tamen etiam captum meum superaret, varia quidem sese mihi obtulerunt, & ab Amicis

cis suggesta fnerunt, nullum autem in iis arrisit
 magis, quam præsens de *Fide Manuaria*, jucun-
 ditate quippe pariter atque utilitate, ut mihi vi-
 detur, non parum sese commendans. Quare
 sine omni hæsitatione id ipsum elegi, præsertim
 cum nullam de eo conscriptam Dissertationem
 adhuc cernere mihi licuerit, excepta eâ, quæ de
Manu stipulatâ, in volumine Dissertationum
 quarto Illustris Stryckii habetur, multa quidem
 eruditione referta, sed rem non penitus omnem
 exhaustente, dum simul etiam de porrectâ manu
 ibidem egit vir Juris Consultissimus. Tracta-
 bo igitur hoc argumentum, non prolixè quidem,
 sed tamen ordine, usurus methodo Causali,
 quam in materiis quoque Juridicis pro optimâ
 habeo, dum nihil ad rem faciens facile effugere
 potest, licet nonnulli eam tanquam pedanticam
 rideant, nihil scilic. rectum reputantes, nisi quod
 cum præconceptis ipsorum opinionibus atque
 perversis præjudiciis convenit. F. D. F.

A 3


CON-




CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

- §. I. Fidei manuariæ DEFINITIO Nominalis.**
- §. II. Ejusdem Definitio Realis, cum succinctâ analysi;
nec non DIVISIONIBUS.**
- §. III. CAUSA EFFICIENS** (a) *remota*, sunt Mores.
(b) *proxima* consistit in Consensu.
- §. IV. SUBJECTA** Fidem manuariam celebrantia, sunt
personæ ad promittendum & paciscendum habiles,
- §. V. OBJECTUM** faciunt Negotia licita, eaque vel
Judicialia, ubi de Fide Manuaria Tutorum atque
Curatorum; de Guaranda Saxonica, & aliis Satis-
factionibus, ubi Fides Manuaria intercedit; de Te-
stibus, stipulatâ manu promittentibus; de Officia-
lium fide manu datâ; de manuum porreptione, quæ
in reconciliatione partium intervenit.
- §. VI. Vel Extrajudicialia, ubi de Fide manuaria in Nu-
ptiis, in Pactis & Fœderibus, in Investituris, in Spon-
signibus.**
- §. VII. FORMA** est vel externa, quæ manuum porre-
ptione seu conjunctione absolvitur; vel Interna, in
vi atque robore stipulandi consistens; Utraque ta-
men in Fide Manuaria perfecta ac verè tali conjun-
gi debet.
- §. VIII. EFFECTUS** sunt vel primus, scil. obligatio ad
agendum valida; & ortus, nimirum Condictio
ex Moribus, vel ex Canone.
- §. IX. CONCLUSIO.**

§. I.



§. I.



Uid *Fides*, quid *Manus* sit, unde *Fides Manuaria* dicitur, cum nemini non constet, prolixiore vocum expositione operam nolo perdere. Illud tantum obiter noto, *Manum dextram* in primis semper pro fidei & fidelitatis symbolo fuisse habitam. Unde illud notissimum *En! dextra fidesque*. Virgilio *dextram dare* idem est ac *animum pignore firmare*. *Aeneid. III. v. 610. seqq.* Eodem modo, quo & Justinus *dextram fidei pignus* appellat. *L. XI. c. 15.* *Manu fidem facere* apud Gregorium Turonensem, de *Glor. Confession. C. LXIX.* *Fidem in manum alicui dare*, apud Dodechinum, in *Chron. ad A. MC LIX.* occurrit. Conferatur, qui plura de his habet, du Fresne, seu Carolus Cangius, in *Glossario*, voce *Fides* p. 431. Item *jurare datâ dextrâ*, apud eundem, in voce *jurare* p. 159. nec non in voce *manus*. p. 423. *Palmatam* alicubi dici *manum datam* memini. Ita enim Joseph a Sesse; *ad validitatem contractus venditionis summopere consideratur de foro*, fuisse factam pretii conventionem per *palmatam*. *Regn. Arrogon. Form. II. Dec. 181. n. 21. seqq.* In Heraldicis sunt figuræ huc pertinentes, scilicet *brachium dextrum cum manu protensum*, quod Galli *dextrochere*, Germani die treue *Hand* vocant; & alia *dextras junctas* repræsentans, Gallis inde *foy* dicta, de quibus vid. Magnif. Dn. D. Weberus, *Exam.*

Art.

Art. Herald. c. V. qu. 73. v. 75. Unde jam facile liquet, fidem manuariam illam dici, quæ porrectâ manu, præcipue dextrâ promittitur. Dextra enim olim fidei & concordia signum fuit, quâ de re ita Alexander ab Alexandro: *Est in dextris religio. Eam porrigitur, si quid data fide futurum pollicemur.* In ipsa enim fidem sacratam Numa Pompilius voluit, sacrumque fidei instituit, ad quod Flamines &c. p. 86. Et de Parthis alibi refert idem Autor: *nullam fæderis legem pacisci eos consueuisse. Si quid tamen voluerint confæderatum, apud altaria complexas dextras p. 213.* Plura de his habet Hering. *de Fidejussor. c. XI. num. 165. seqq.* Imo, si vetustiora monumenta, quorum aliquot videndorum copia mihi facta est a Laudato Dn. D. Webero, consuleris, vox geloben semper Fidem Manuariam denotavit; unde sibi perpetuo opponuntur, gereden & geloben / aliquando additur: **Mit Mund und mit Hande;** uti in Burgfrieden zwischen den Grafen von Schwarzburg / Stollberg / Herrn von Geran und Herrn von Plesse über Burg und Stadt Herringen aufgerichtet A. 1418. Aliquando mit Hande und Munde / ut in den Burgfrieden zwischen Hohnstein / und Schwarzburg über das Schloß Benckenstein A. 1424. Aliquando etiam Manuariæ Fidei synonymon est *promissio stipulatâ manu facta*, quo deinceps pluribus. Germanis audit vulgo **Hand-Gelöbniss** / à voce geloben / quæ notissima est, undeque sine dubio vox Glauben descendit, quia manu promittens debet fidem producere. Hinc notæ locutiones, den **Handschlag** von sich

sich geben / mit Handgegebener Treue angeloben/
mit Hand und Munde zusagen / mit Hand und
Munde geloben.

§. II.

Jam ad *Definitionem* progredimur, quam quidem omnem periculosam esse in Jure Civili vulgo credunt, allegando l. 202. de R. J. nobis tamen cum Petr. Fabro, in *Explicat. Regg Juris*, de regulis ea potius loqui videtur, quam de *Definitionibus Logicis*, quum moralia ab impositione hominum ortum habeant, & per consequens eorum indoles penitus indagari ac facilius describi possit, quam rerum Physicarum. Igitur *Definitionem Fidei Manuariae* hanc dabimus. *Est actus moribus introductus, consensu validus, personarum ad promittendum & contrahendum idonearum, quo in negotiis licitis data utrinque manu valide atque in vim stipulandi promittunt, & se obligant.* Dico (I) quod fit *Actus*, quod vocabulum *Generis* vicem commodè satis sustinet, dum promissiones & obligationes, variis modis, quos actus recte dixeris, perficiuntur; quorum actuum promissiorum species est *Fidei Manuariae* præstatio. Dico (II) quod sit *actus moribus introductus*, quibus verbis *Causa Efficiens remota innuitur*. Dico (III) quod sit *actus Consensu validus*, ad exprimendam *Causam Efficientem proximam*, quam non aliam ac consensum constituimus. Dico (IV) quod sit *actus Personarum ad promittendum & paciscendum idonearum*, ut *subjecta*, quæ hunc actum celebrare possunt, innuantur. Dico (V) in *negotiis licitis*. En *objeta!* Dico (VI) quod sit *actus, quō data utrinque manu promittunt, & indigitatur hic Forma actus hujus externa.*

B

Quem-

Quemadmodum (VII) verbis, *in vim stipulandi, Forma interna* exprimitur. Dico (VIII) quod sit actus, quo promittunt & se obligant Manuariam Fidem celebrantes, quibus Finis & Effectus hujus negotii continetur. Et haec quidem summaria Definitionis nostrae analysis est, quam nunc per potiora membra paulo uberiorius exponeamus, ubi primum de *Divisione* pauca adhuc monuerimus. Et quidem varie Fides Manuaria dividi potest; Nimirum (I) Ratione *Personarum* eam excentrum (a) quoad dignitatem, est ea vel Illustrium, vel Nobilium, vel aliorum quorumlibet. (b) Quoad sexum est vel virorum vel fœminarum. (c) Quoad ordinem est vel Clericorum vel Laicorum &c. vid. Excellentiss. Dn. A. A. Pagenstecher, JCtus Grøningensis Celeberrimus, Doctor quondam meus omni honoris cultu prosequendus, in suis *ad Pandect. Admonitoriis*, p. I. §. 61. (II) Ratione *Objecti* est ea negotiorum vel Judicialium vel extra-judicialium. (III) Ratione *Formæ* est vel dextræ manus vel sinistræ, item vel simplex, vel cum jurejurando conjuncta; tandem vel absoluta vel conditionata &c. (IV) Ratione *Finis & Effectus* vel dandorum vel faciendorum; Item obligationis vel simplicis vel mutuæ &c. De quibus deinceps iuis locis uberiorius. Et possent facile plures addi Divisiones, sed haec, tanquam potiores, nunc sufficiant.

§. III.

Quod igitur ad *Causam Efficientem Fidei Manuariae* attinet, ea vel remota est, vel proxima. Remotam dicimus esse *Mores*. In Legibus enim nostris de Manuaria hac Fide nihil deprehenditur; & licet vim stipulandi habeant, indeque *stipulata manus* promittere dicatur;

catur; manus tamen ad stipulationem minime omnium requirebatur, sed sufficiebat interrogatio & apta ad eam responsio de aliquo dando vel faciendo L. s. §. i. ff. de Verb. Obl. l. 3. C. de inutil. stipulat. §. i. Inst. eod. Moribus igitur hic obligandi modus penitus attribuendus est, qui pro lege valent. l. 6. ff. de Evict. §. 9. Inst. de G. N. G. & C. & omnium viventium actibus dominantur. Prückmann vol. i. conf. 38. n. 9. Præcipue autem Germanis nostris iste mos videtur attribuendus, qui, ut fidei promissis datæ sancteque servatæ summam apud omnes gloriam habent, ita & olim & hodiè eidem manus adhibere sveverunt. Candorem eorum insigniter depraedicat Cornel. Tacitus, omnisque astutiae & calliditatis expertes laudat. Mor. Germ. c. XXIX. Et nullos mortalium fide superare Germanos ait, Annal. XIII. c. 34. Gentem nostram ita describit Conradus Celtes:

*Est veri justique tenax, mens consona labris
Ficta colorata vitat mendacia lingua*

Inde: Ein Wort ein Wort / ein Mann ein Mann.
Plura in hanc rem videri possunt apud Dn. Styckum, Dissert. de Manu stipulata c. s. n. 31. seqq. & B. Dn. Cancelarium Hertium, de Paræmiis jur. German. Lib. i. paræm. 8. Manuum adhibitarum testis est omnis historia; quibus id hoc loco addimus, non integrum semper manum fidei firmandæ à Germanis nostris in negotiis suis adhibitam, sed aliquando majoris fidei ergò testes, aut paciscentes sigillis cereis, quæ literis appenderunt, solum pollicem à tergo impressisse, quō de vid. Heineccium de Sigillis. P. I. c. 16. n. 9. p. 172. Imò Imperatores & Reges Germaniæ olim Chirothecas suas, Manum loco ad actiones, quibus

B 2 inter-

interesse non poterant, misisse, ex Jure & Speculo Saxonicō probat Camerarius, Hor. subcisiu. Cent. I. c. 35. Quod ad Causam proximam attinet, eam in mutuo consensu consistere sat puto evidens est. Ut enim omne promissum & omnis obligatio ex consensu procedere debent, adeo, ut etiam stipulatio, quæ verbis sit, nisi habeat consensum, nulla sit. l. i. §. 3. ff. de pact. l. 40. ff. de L. L. Ità quoque fides quæ stipulatâ manu hinc & inde datur, quam maximè consensum requirit. Unde concludimus, nihil prorsus agi, si quando vel error vel ignorantia, vel dolus aut metus in tali negotio interveniant, utpote quæ tanquam consensum impedientia omnibus negotiis civilibus obstant. l. 116. §. 2. ff. de Reg. J. l. 51. ff. de pact. l. 57. ff. de Obl. & act. tot. tit. ff. de Dol. mal. l. 116. de Reg. J. in pr. Igitur postquam communis usus hanc fidei exprimendæ rationem generaliter introduxit; in actibus individualibus & specialibus ea toties ad effectum deducitur & subsistit, quoties hominibus placet, hoc, & non alio modo, fidem suam stabilire. Nulla enim dari potest proprietor ratio, quare actio aliqua pro valida habeatur, quam quia à volentibus profecta est, quatenus illi validitatem vel leges vel usus & consuetudo concederunt. §. 9. Inst. de J. N. & G. l. 32. §. i. ff. de LL.

§. IV.

Subjecta Fidem Manuariam exercentia sunt Personæ ad promittendum & paciscendum idoneæ. Ubi sanè non opus erit, ut prolixioribus verbis hoc Definitionis membrum expónamus, dum omnia, quæ alias de habilitate personarum pacifici vel contrahere, & se firmiter obligare

gare valentium traduntur, huc facile trahi, & levi operâ ad nostrum negotium adcomodari possunt. Quarè potius generalem regulam formando dicimus, quod, *Quæcunque personæ alias ad paciscendum, contrahendum & obligandum sunt habiles, eadem omnes etiam Fidem Manuariam dare, & per eam se obligare possint.* Unde nec surdi, nec muti, dummodo animi sensa declarare possint, excludendi, imò nec cæci, qui licet non videant, palpare tamen possunt, quamvis forte tutius sit, testem unum vel alterum à talibus adhiberi, ne porrectâ forte alterius manu decipientur. Excipiuntur autem, si qui truncati fuerint manibus, quamvis alias hic defectus obligationibus eorum non possit esse impedimento. Apparet enim facile singularitatis ratio, quæ in eô consistit, quod manus pertineat ad necessitatem Fidei Manuariæ, & per consequens abesse ea non possit. Contra ergo, *Quæcunque Personæ alias ad paciscendum, contrahendum & obligandum sunt inhabiles, eadem omnes etiam fidem manuariam dare, & per eam se obligare non possunt.* Unde liquet, ob defectum ætatis & judicii infirmitatem impuberis atque minores, ob defectum rationis, furiosos, mente captos, &c. qui hisce comparantur, prodigos declaratos, nec non ebrios, ob defectum Status filiosfamilios, per Fidem Manuariam se validè adstringere nullô modô posse, quamvis in certis casibus aliqui eorum, uti notum est, alios sibi ea ratione obligatos reddere queant.

§. V.

Objectum succedit, quod sunt negotia licita; illicitorum enim & in honestorum nulla est promissio, nulla obligatio §. 23. Inst. de inutil. stipulat. l. 15. ff. de Con-

B 3

dit.

dit. Instit. Comprehendimus autem nomine negotiorum tum res, tum facta, & non facienda, quia non illæ tantum, sed & hæc in stipulatum deduci possunt §. 7. *Instit. de Verb. Oblig.* Et quidem de pluribus horum sub-Divisionibus & Divisionibus aliis omnibus nunc non erimus solliciti; cum quæ in materiâ de obligationibus, item stipulationibus & pactis passim obvia sunt, facile huic trahi, & ad præsens thema convenienti modo adcommodari possint. Nos autem, quia brevitati studemus, specialia tantum aliqua & præcipua discrimina negotiorum, ubi Manuaria Fides locum habere solet atque potest, annotabimus. Sunt igitur ea vel *Judicialia*, vel *Extra-judicialia*; ubi tamen notari velimus, vocabulum *Judicialium* nos ita latè accipere, ut non tantum illa negotia, quæ in loco judicii peraguntur, sed & ea, quæ autore Judice fiunt, eodem complectamur. In *Judicialibus* primò loco mentio facienda est *Tutorum*, qui in Tutelis suscipiendis præter juramentum manu etiam datâ cavere atque fidem promittere solent. Et quidē solam Fidem Manuariam hodie ferè sufficere, & juramentū ab usu recessisse putat Hoppius, Comment. ad §. I. *Instit. de Satisd. Tutor.* vel *Curat.* secutus Carpzovium. P. II. Const. II. Def. 6. n. 4. & Mevium, ad *Jus Lubecense*, L. I. Tit. 7. art. 2. Sed, ut ut forte in nonnullis Germaniæ locis id ita obtineat, quemadmodum de Saxonia & Lubeca citati Autores testantur; frequentius tamen est, ut fides manu missa Juramento solenniâ Tutoribus corroboretur, secundum id, quod volunt *Novell.* 72. c. ult. & *Constitutiones Imperii*, *Ordinat.* *Polit.* de A. 1548. & de A. 1576. c. 32. Confer. Dn. Pagenstecher, *ad Instit. Libr. I. Aph. 95.* & in cit. supra *Admonitor.* ad

ad

Pandect. p. 4. §, 149. Quemadmodum etiam id in Has-
sia usitatum est, ubi tamen Nobiles jusjurandum hoc casu
per Mandatarios præstare audivimus. Neque verò ideo
liberantur Tutores à jurejurando, quod immobilia
possident, quia per hæc pupillis contra perfidiam eorum
non satis semper prospicitur. Ubi tamen id remittitur, &
stipulatæ manui fides habetur, necessum utiq; est, ut Tutor
immobilium possessor sit. arg. L. 15. ff. qui Satisd. cog.
Confer. Dn. Stryck. d. *Dissert. de Manu stipulata cap. 2.*
n. 9. Quod de Tuteore dictum est, idem etiam de Curato-
re, intellectum volumus, quia quamvis realia multa sint
discrimina inter Tutores & Curatores, in quamplurimis
tamen adhuc convenient, & regulariter promissioni *sti-*
pulatæ manu factæ, ubi ita receptum, jusjurandum su-
peraddere tenentur. Neque verò hic distinguimus,
utrum Laici sint, an Clerici Tutores Curatoresve, dum &
hi jurare tenentur, neque sola Fides Manuaria sufficit.
Evidem Jure Civili secus est. l. 7. l. 25. §. I. C. de Epi-
scop. & Cler. id quod etiam Jure novo non mutatum.
Nov. 123. c. 7. Unde Doctores nonnulli cum Clericis in
Juramentis non nimis rigorose procedendum esse con-
tendunt. Vid. Muller, *ad Struv. ff. de Jurejurand.*
Th. XVII. & propterea sufficere existimant, si saltem
datæ dextræ promittant. Enim verò sententia hæc nul-
lo solidō fundamento gaudet, dum eadem ratio,
quæ quoad juramenti necessitatem in aliis obtinet,
æque militet in Clericis; unde & Canonum Jura
C. 5. & fin. X. de Testib. imò praxis & mores in di-
versum abeunt, adeò ut hodiè Pastores Ministriique Eccle-
siæ ad juramenta præstanta rectè cogantur, & nullò mo-
do

dō divino Cultui, qui juramentis ineſt, ſe subtrahere poſſint, ut bene monet Magnif. Dn. Pagenſtecher in eleganti ſuo *Tract.* *In rē iurīā vapulante*, *Coit. XXV. §. 2. & seqq.* Pergimus in Judicialibus ad alia *Cautionum* exempla, quæ variae ſunt, uti patet *ex tit.* *Inst. de ſatisdat.* regulariter tamen ſolā & simplici *Fide Manuariā* non peraguntur. Jure Saxonico ſingulare eſt, ut Actor Reo de Evi-
ctione Litis caveat, ſive promittat, ſe Reum defenſurū, ubi ab alio ſuper eadem cauſa impetatur (*Guarandam* vocant, die *Gewehr angeloben*) idque fieri debet *actu corporali*, id eſt, *Fide Manuaria*, vel *tactu baculi*; uti Praxis Judiciorum Saxoniorum id teſtatur. Verba Constitutionis Electoralis ita habent, die *Gewehr* ſoll würtlich *actu corporali* angelobet werden / und ſoll nicht genugſam ſeyn/ dieſelbe in actis würtlich anzugeben *P. I. Conſt. 4.* ubi pluribus videndi Commentatores, in primis *Carpzov. Definit. I.* Ut autem unius poſitio, ſecundum Regulam Philosophorum, non eſt alterius exclusio, ita non putandum eſt, à ſatisfactione liberos eſſe, qui *ſtipulatā manu* fidem faciunt; quin pro di-
verſitate negotiorum atque caſuum, oportet, ut vel datis fidejuſſoribus caveant, vel immobilia poſſideant, eeu *d. Tit. de ſatisdat.* pluribus docetur, Quousque autem ſe extendere debeat ſumma ſeu preium bonorum immo-
bilium, quando quis ad id admittendus, ut tantummodo *manu ſtipulatā* caveat, latē diſquirit *Stryck. d. Diſp. de Manu ſtipulatā. C. II. §. II. seqq.* quo cupidum Lecto-
rem brevitatis ſtudio remittimus. Præterea etiam in quamplurimis Germaniæ Judiciis receptum eſt, ut in

Exa-

Examine testium, antequam hi ad juramentum admittuntur, manu stipulata promittant, se vera enunciatiuros. Unde in Protocollis id ita notatur : Und ist Zeuge nach gethanen Hand. Gelobniß zu würtflicher Endes. Leistung zugelassen worden. Neque vero id volumus, acsi in Testium examine Fides Manuaria sufficiat ; sed juramentum accedit omnino opus est, quum testi non jurato non credatur, licet vir gravis & in dignitate constitutus sit. L. 9. §. 1. C. de Test. Ubi iterum Clericos non excipimus, nec *Manuaria* Fide satagere eos putamus. Totam enim Testimonii substantia in jurejurando consistit. Gail. I. Observ. 101. n. 1. Et Levitæ jurarunt Regi Joas. II. Paralipom. XXIII. §. 2. 3. Unde in perhibendo testimonio jurato inobedientes ab officio suspenduntur. Richter Vol. I. Cons. 19. Quamvis conventione partium Juramentum ipsis remitti possit, ob rationes adductas à Carpzov. Jurisprud. Confessor. L. III. T. 2. Conf. c. 51. X. de Test. Carpzov. P. I. C. 16. def. 69. & P. I. decis. 77. num. II. Mev. P. II. Decis. 265. similiter quoque receptum est, ut *Officiales*, antequam Juramentum fidelitatis præstant, fidelitatem *manu datâ* polliceantur. Aliquando etiam, ubi pro ratione circumstantiarum jusjurandum exigere veretur Judex, ejus loco *Manuaria* Fides injungitur : Er lasset an Endes Statt stipulata manu angeloben. Attendenda igitur sunt consuetudines quorumlibet locorum, atque stilus Curiæ observandus est, utpote quem nosse

Sæpe valet pluris, quam tota scientia juris;
& cavendus, ubi metuitur, juramentorum abusus ; Unde
laudabiliter in Illustri hac Ludovicianâ receptum, ut Stu-

C

diosi

diosi adventantes, non, quod alibi sit, Juramentum præstent, sed sola Fide Manuaria datâ admittantur. Unicum adhuc actum, qui in Judiciis frequens visitur, quamvis etiam extra Judicium celebrari possit, referam, vide licet illum, quando, præsertim *in causis injuriarum, partes in signum factæ reconciliationis sibi invicem manus porrigere jubentur.* Signum inquam est factæ reconciliationis. Vid. Philipp. Camerarium *l. c. pag. 163.* sed habet tamen maxime vim promissionis, & stipulan tur sibi invicem non solum ratione præteriorum amnestiam; sed etiam ratione futuri fidem promisi & amicitiam; quæ sane cum sint honestissima, & talia, ad quæ humanitas quemlibet ultrò invitare debeat, videas tamen, quod mirum, subinde homines, qui talem conciliationem sibi minus convenientem reputantes, eam detrectant, aut saltem rem suis personis indignam existimant, si primi manū alteri porrigere debeant, quod ut fiat lædensq; læso obviam eat, sicuti jus atq; æquitas requirunt; ita prudentis Judicis in hoc casu est, præsertim ubi disparis valde conditionis fuerint partes conciliandæ, ut ad difficultates omnes præscindendas ipse partium manus arripiat, atque easdem hoc modo jungat.

§. VI.

Missis negotiis Judicialibus, jam quoque exempla *Extra-judicialium* quorundam proponenda sunt, quæ *Manuaria Fide* peragi sueverunt. Intelligimus autem per *Extra-judicialia* illa, quæ non Judice Autore, nec in Judicio, sed à volentibus & quocunque in loco suscipi solent atque possunt. Initium faciamus à *Matrimonio*, quod datis invicem dextris à nupturientibus perfici in vulgus

vulgus notum est ; & antiquissimum hunc Persis etiam atq; Assyriis usitatum morem fuisse, testatur Alex. ab Alessandro, *Genial. dier. L. II. p. 59.* Certè apud nos in omnibus ferè Ordinationibus Ecclesiasticis, ut ita fiat, dispositum reperitur, in specie in Electorali Saxonica, quæ in Corpore Juris Elect. Saxon. extat, Pastori hisce verbis injunctum : *Hie füge et ihre beide rechte Hände zusammen.* Quæritur indè Primo, *An hæc Manuum junctio ita sit de substantia Matrimonii, ut, si forte ea omissa, Matrimonium ideo sit nullum?* Ad quam negativè respondemus cum Stryckio l. c. §. 27. seqq. Licet enim ad Formam externam iste ritus pertineat, essentiam tamen negotii non ingreditur ; utpote quæ in mutuo Neo - Nymphorum consensu, &, nostris Ecclesiasticis Juribus, in benedictione sacerdotali consistit ; indè sicubi Manuum junctio omessa fuerit, reprehensionem quidem mereretur Sacerdos, copula tamen utique subsisteret, nec minus effectu justi matrimonii destitueretur, ac si forte annuli pronubi dati non fuerint, quæ solemnis æque eodem in loco Ordinationis Ecclesiasticae Saxonicae requiritur, verbis, *Hie lasse er sie die Trauringe einander geben / und füge &c.* Quæritur Secundo : *Si solummodo manum porrigat Sponso Sponsa, nec in nuptias consensum, forte ex nimia verecundia, verbis declareret, an sponsalia nihilominus pro perfectis haberi debeant?* Et respondemus, quod sic, ubi scilicet cætera fuerint paria, nimirum ubi rogatio Sponsi antecesserit, & rite ac seriò Sponsam is ambierit, & cæterorum quorum interest, consensus acceperit, nec Sponsa unquam contradixerit, quo vel solō pro consentiente habetur l. 18. ff. mandat.

dat. c. 43. de R. J. in sexto. Verus enim Consensus est, qui etiam per alia signa evidentia, quam per verba exprimitur; imo, quid verbis opus est, ubi ad sunt rerum testimonia? Quæritur Tertio, an, ubi *sinistrâ*, non *dextrâ* manu *Sponsus Sponsæ* fidem dederit, vulgo: *Wann er sich die Braut läßt an die linke Hand trauen* | an, inquā, verum hoc & æq; legitimum sit Matrimonium? Aliquando enim id factum docemur à Mylero, *Gamologia Personar. Illustr. C. VI. n. 13. p. 169.* quamvis, cum differentia manuum nihil ad tale matrimonium, quod & *Morganaticum* dici notissimum est, faciat, sed omnia à patre dependeant, perinde fuerit, sive dextra sive sinistra porrigatur. Stryck. *Exam. Jur. Feudal. C. VII. qu. 7.* Et existat novissimum exemplum Rudolphi Augusti, Ducis Brunswicensis, quem, cum impare ejusmodi Matrimonio sibi jungeret Rosinam Elisabetham, non sinistra sed dextra manu usum esse, ex fide dignis perceperimus. Ad propositam igitur quæstionem respondemus; legitima utique & vera talia matrimonia (quorum exempla plurima adducit Mylerus l.c. §. II. seqq.) censeri debere, per rationes à laudato Mylero l.c. §. 22. seqq. propositas. Et licet propter pacta Liberi extali conjugio nati non omnes effectus & jura legitimorum consequantur, reverâ tamen legimi sunt 2. *Feud. 29.* id quod disertè inter alios confessus est Elector Palatinus, dictus Victoriosus. Cum enim ex Virgine Nobili de Tettingen ei natus filius, ejusdem nominis, factus Canonicus Spirensis, moreretur, Pater ipsi A. MCCCCCLXIV. Heidelbergæ hoc Epitaphium fecit: *Fridericus, Nobilis Bavariæ, Filius legitimus Friderici Electoris Palatini. ap. Paræum, in Histor.*

Friderici I. fol. 241. Sed hæc de *Fide Manuaria in Matrimonii sufficiant.* Pergimus ad alia negotia *Extra-judicialia*; & sanè constat, omnibus conventionibus atque promissis cæteroquin licitis atque permissis adhiberi posse & solere plerumque Fidem Manuariam, & quidem cum à privatis, tum à Magnatibus & summis Imperatoribus. De ipsis uti dubium non est, ita de his exempla unum vel alterum in medium proferemus. *Pacta Ganerbitatus*, ab iisdem confirmata jam supra §. II. adduximus; Plura qui velit, adeat Kyllingerum, *de Ganerbitis Castrorum, in Appendicibus p. 203. seqq.* ubi subinde *mit Hand geloben / mit Hand geloben / juratis confirmationibus contradistinguitur.* Ita in *Fœdere Defensionis*, quod A. MDCXIX. d. 29. Mart. Numburgi inter Serenissimas Domus Saxoniam, Brandenburgicam & Hassiacam renovatum fuit, promissio stipulata Manus juramentum antecessit, uti patet ex formula jurisjurandi, tum temporis ab Electore Brandenburgico Confœderatis prælectâ, ubi hæc habentur: Und wenn seine (des Chur- & Fürsten von Sachsen) Lbden / und die andern sich dessen durch Ja erklähret / und die Hände einander gegeben / werden sie den End ohngefährlich auf nachfolgende Form thun &c. Was Wir der Erb- & Einigung halber iho mit einander geredet und gelobet haben / das wollen Wir stet / fest und unverbrüchlich halten / als wahr Uns Gott helfe &c. ap. Limnaum Jur. *Publ. L. IV. c. 8. n. 25.* Porrò etiam extant exempla *Feudorum*, de quibus Vasalli interpositâ sola *Fide Manuaria investiuntur*, quibus casibus vinculum illud, quod inter

C 3

Feudi

Feudi talis Dominum & inter Vasallum intercedit, magis rationem fœderis inæqualis habet, quam Vasallagii propriè sic dicti. Licet enim alias fidelitas à Vasallo abesse nequeat, quippè quæ Formam absolvit. 2. Feud. 6. in fin. juramentum tamen abesse potest, præsertim ubi Vasallus Domino potentior fuerit, ubi sola Fides Manu promissa sufficere censetur. Exempli loco possunt esse Feuda, quæ Electores Seculares ex dispositione Henrici II. (de quibus vid. Freherus *Origg. Palatin. C. XV.* & Lehmannus, *Chron. Spir. L.V. C. 16.*) ab Episcopo Bambergensi per suos Ablegatos accipiunt, non præstantes juramentum, sed stipulata tantum Manu Fidem promittentes. Vid. Winziger ad *Exam. Jur. Feud. Stryckii, C. II. qu. 22.* Aliud simile exemplum habet Stryckius, in *Appendice Examinis J. F. Num. XIII. p. 526.* ubi videri potest. Plurima istiusmodi negotiorum, ubi extra Judicium Fides Manuaria præstari solet, exempla cumulare facile esset; sed mittimus reliqua, de *Sponsionibus* tantū adhuc videamus, quæ à Mercatoribus maxime frequentantur ab aliis tamen, etiam Magnatibus & Principibus, & que usurpari possunt atque solent. Quæritur, si cæteroquin honestæ & licitæ fuerint, an ad earum subsistentiam stipulata Manus necessaria sit, sive, an ad earum formā hæc ita requiriatur, ut qui in sponsione superatus est, Exceptione Manus nondum porrectæ se tueri & promissionem elidere possit? Puto distinguendum esse, cum Dn. Stryckio l.c. C. 35. utrum moribus ita in loco aliquo receptum sit, ut non valeat sponsio, nisi datis Manibus fuerit firmata, an non receptum, vel saltem dubium. Priore casu utique Exceptiōni locus est, cum observantia cuique rei formam tribuat

buat, arg. l. 32. ff. de LL. Prückmann. Vol. I. Conf. 38.
 Aliter vero sentiendum est de casibus posterioribus; ubi
 valida utique etiam sine manuum junctione facta spon-
 sio habenda, dum regulariter in mutuâ stipulatione con-
 sistit, ad quam manus non requiritur, quippe quæ con-
 sensus atque fidei evidentius symbolum est, ubi negotiis
 de superfluo superadditur. Tib. Decianus Vol. III. Resp.
 64. n. 14. Ceterum id quoque moris esse novimus, ut
 soleat tertius quidam mediatoris ad instar, uti Dn. Stry-
 ckius l. c. interpretatur, vel potius defensoris (Guarant)
 suâ manu spondentium manus disjungere; Germanicè
 vocant *durchschlagen* / & hōc demum factō sponsio pro
 perfecta habetur. Hic igitur quæri possit, *an, ubi omis-
 sum id fuerit, Sponsio nullius sit momenti, & is, qui supe-
 ratus est ab altero, huic Exceptionem nullitatis opponere
 possit?* Et credit eadem responsio, quæ ad proximam quæ-
 stionem data; videndum scilicet, an Mores inveterati
 hanc solennitatem exigant, & an forte spondentes in eam
 expressè consenserint, tum sine dubio eādem omissa nihil
 agitur; ubi autem id secus se habet, quemadmodum in
 dubio non præsumitur, ibi ex solâ manuum junctione
 Sponsio validitatem accipiet, nisi forte in ipso conjunctio-
 nis actu alteruter pœnitentia ductus promissionem revo-
 caverit. Conf. Stryck. l. c. n. 36.

§. VII,

Jam ad *Formam Fidei Manuariæ* procedimus. Du-
 plicem eam esse supra diximus, internam atque exter-
 nam; de utraque breviter. Quod igitur ad *Formam*
Externam attinet, ea absolvitur porrectione & junctione
 manuum; quam aliqua negotia ex constitutione Legum,
 aliqua

aliqua ex inveteratis Moribus, aliqua ex partium conventione desiderant, uti in præcedentibus per exempla ostensum fuit. Unde patet, quemadmodum apud Romanos ad stipulationem necessario certæ verborum formulæ requirebantur, sine quibus ea nulla erat; ita regulariter etiam ad *Fidem Manuariam* requiri manum, quum apud nos illa ferè in locum stipulationis successerit, vel saltem idem operetur, quod stipulatio. Notandum autem probè hic est; quod, quamvis ad Formam Fidei Manuariæ manus desideretur, tamen ideò non omnia negotia, quibus alias stipulata manus adhibenda est, propter eam non adhibitam statim nulla reddantur; Id quod supra exemplo pactorum nuptialium probavimus, & simul ejus rei rationem dedimus. Perit enim *Forma Fidei Manuariæ* externa tantum, quæ pro accidentalí eatenus haberi potest, quatenus ea ipsam negotii essentiam per se non ingreditur; Salva autem supereft Forma interna, seu vera & essentialis, quæ negotium suffulcit, & in esse suo conservat. Potest tamen fieri, ut Leges etiam *Manuariam Fidem* ad validitatem & substantiam alicujus negotii ita exigant, ut eâ omissâ idem pro nullo habeatur, id quod itidem in præcedentibus exemplo Guarandæ in foris Saxoniciis usitatæ probatum dedimus. De cætero nihil interesse putamus, dextra an sinistra manus fuerit, qua fides firmatur, neque dubium est, eum, qui dextrâ omnino caret, omnia ea negotia, quæ Fide Manuaria peraguntur, idoneè celebrare posse; quamvis non negemus, dextram regulariter sinistræ præferendam esse, quia usus ita fert, & omnium ferè populorum opinione major dextræ quam sinistræ dignitas inesse reputatur. Sed quic-

quicquid sit de manu & externâ Formâ, potius in negotiis
 Fide Manuariâ peragi solitis ad Internam Formam re-
 spiciendum est, quam in vi ac robore stipulandi consi-
 stere supra diximus. Evidem recte cum Göddæo, *de
 Contrahend. & committ. stipulatione C. III. Concl. 9.*
n. 183. negamus, Fidem Manuariam esse ipsam & forma-
 lem Stipulationem, quod aliqui, sed perperam sibi persua-
 dent. Siquidem Stipulatio verbis, non manibus celebra-
 tur, & sine verbis Fidem Manuariam præstari posse,
 ita ut pro voce manus sit, exemplo docet Hering. *de Fide-
 jussor. l.c. n. 165. p. 298.* Nec quidquam ad rem facit, quod
 Fides Manuaria subinde stipulata manus dicatur; id
 enim identitatem non gignit, sed convenientiæ indicium
 exprimit; undè etiam male, qui Stipulationem Germani-
 cę per Hand-veste vel Hand-vestung exponunt, vid.
 Hopp. *ad Inst. de Obl. Verb. pr. p. 726.* cum hæ locutio-
 nes potius ad Fidem Manuariam spectent, neque hæc cum
 Stipulatione confundi debeat. Potius ergo dicendum
 est, induisse Fidem Manuariam vim Stipulationis apud
 Germanos aliosque, & eodem loco habitam, quō apud
 Romanos Stipulatio. Pacta enim nuda obligationem
 naturaliter producere ipsi etiam Romani agnoscebant;
 certas, tamen ob causas validitatem iis denegabant, nisi ad
 modum à Legibus præscriptum & determinatū, atq; adeò
 etiam per conceptas verborum formulas celebrarentur,
 quod utique facere licitum erat & ipso Jure Naturali. Si-
 militer Germani nostri, aliique populi, nudis pactis reli-
 quere quidem etiam suam validitatem atque vim obli-
 gandi majoris tamen roboris ergo, ad instar Concepto-
 rum Verborum, exterius quoddam addidere. De hac
 convenientia Schneidewin. *Glossa, ait, innuit, super ver-*

D

bum

lumen firmum, in stipulatione aliquid dari suisse solitum,
 in signum contractæ Obligationis, sicut apud nos plerumque
 datio dextræ intervenire solet. Unde per Notarios plerumque hæc verba Instrumentis inscribuntur.
Und habens mit Hand- gegebener Treu einander
zugesaget. ad Inst. de Verb. Oblig. n. 15. Conferatur
 Cæl. Rhodiginus, Antiqq. Lection. L. XXII. c. 14. ubi plu-
 ribus docet, conjunctione manuum perfectam animo-
 rum confessionem & obligationem symbolo quasi quo-
 dam significari. Et quod ejusmodi dextrarum conjunctio
 perfectæ pactionis, ac plenæ fidei symbolum ac signum
 sit, habetur in c. I. circ. fin. X. de Spons. duor. vid. Speidel,
 Specul. in voce **Hand** p. 562. Ut igitur rem in pauca con-
 feram, Forma interna Fidei Manuariae consistit in parita-
 te & convenientia hujus cum vi acrobore Stipulationum
 interno, quatenus tamen itidem illi æq; ac huic quoddam
 signum atque symbolum singularis firmitatis gratia adjici-
 tur. Forma dat esse, distingui & operari, quæ omnia par-
 tim dictis verbis comprehenduntur, partim in sequenti-
 bus ostendentur. Ubi enim in negotio aliquo verus & de-
 liberatus ad se obligandum atque promittendum animus
 est, ibi Fides Manuaria existit; & per hoc talis actus ab
 omnibus aliis actibus obligatoriis formaliter distinguitur.
 Tribus tamen adhuc, antequam hinc discedo, monen-
 dum est, me, dum dixi, Fidem Manuariam apud nos
 successisse ferè in locum Stipulationum Romanarum, item,
 induisse vim atque robur earundem, me, inquam, non in
 ea esse sententiâ, ac si Stipulationum apud nos nullus su-
 perficit amplius usus, quam tanquam erroneam rectè no-
 tavit Excellentissimus Dn. D. Grollmannus, *Dissert. de*
Stipula-

Stipulatione interpretativâ. C.I. §.1. Non hæc mens est, sed illud volo, eodem penè loco habendam esse apud nos Fidem Manuariam, quô habitæ fuerunt apud Romanos Stipulationes, quod magna has inter atque illam sit convenientia.

§. IIX.

De *Operationibus* sive *Effectibus* Fidei Manuariæ nunc quoque paucis videndum est. Qui cum duplices sint, *Primus* videlicet, atque ex primō natus, ceu Doctores loqui amant, inde de utrisque breviter dicemus. Quod igitur ad *Effectum* primum attinet, is in *Obligatione*, non naturaliter tantum, sed etiam civiliter valida consistit. Dum enim ex communi doctrinā nuda pacta nos hodie firmiter obligant, & eandem cum stipulatione habent efficaciam, Stryck. de *Cautelis Contract. Sect. I. C. 4. §. 5.* multo magis idem Effectus consequetur, ubi manu insuper fides promissa fuerit, utpote quam solennitatem vice Verborum solennium in Stipulationibus usitatorum fungi supra docuimus; & rectè *Manus* perfectissimi consensus indicium & symbolum dicitur Stryckio. d. *Diss. de manu stipulatâ. C. 2. n. 32.* Etiam si manuum conjunctio non est stipulatio, nihilominus tamen, quando ad factum manus verba accedunt, *Wann die Part etwas einander zu halten mit Hände und Munde willigen und zusagen/* Stipulatio est, id est, æquè firmiter obligat ac Stipulatio, ceu ex Frider. Prückmanno. *Cons. 50. n. 192. & n. 603.* docet Hering. l.c. n. 168. Add. B. Cancellarius Hertius, *Paræm. citat. §. VI. & seq.* Quam maximè autem in Contractibus Consensualibus perfectionem eorum inducit, ubi promissioni stipulata manus fuerit superaddita. Quam in rem egregiè Joseph à Sesse: *Ad validitatem*

D 2

Con-

Contractus venditionis summoperè consideratur de foro , quando partes se capiunt per manus ; si postea fit aliquid in contrarium , præsumitur proditorie factum , quasi fracta per fraudem fidei ; nec datur aliud signum ad significandum , quod quis dat fidem suam , quam datio manus dextræ . Digitæ enim testes sunt fidei , & datia fide ab aliquo magna est efficacia promissionis . Imò habet vim Juramenti , & quoad promissionis observantiam , par est efficacia ejus , quæ sit juramento , ac quæ sit præstata fide . Decis. Arragon. 181. n. 2. seqq. Tom. II. Circa ultima hæc verba , ubi Fidem Manuariam vim Juramenti habere dicit Sesse , paulisper adhuc subsistendum est . Novimus , quod alias interpositio fidei juramento æquipareatur , ceu pluribus & latè probat Gail. L. II. Obs. 59. n. 1. Multò ergo magis id dicendum fuerit , ubi manu datâ fides interposita . Non jam dicam de Principibus & Illustribus , quorum promissiones , maxime ubi stipulata manu factæ , quoad obligationem juramento æquiparantur , adeò ut etiam in Camera per omnia vim verè juratæ promissionis habere judicentur , teste eodem Gail. l. c. n. 6. Idque ratione optimâ & solidissimâ , quia Principem non decet fallere , cuius fides , præ cæteris , ut publica spectari debet l. 14. C. de omni agr. def.

-- -- Nudo jus & reverentia verbo

*Regis inesse solet (debet) quovis juramine major ; uti Frider. Barbarossa ap. Gunther. Ligurinum , L. III. v. 511. seq. & ibi Rittershusius , in Nott. p. 77. Et vere Imperatoria vox erat Caroli Vti , quando dixit : *Etsi fides ex toto orbe exularet , apud Imperatorem tamen manere debet.* Reyger. Thesaur. voc. Fides p. 1570. Confer. Gregor. Tholosanum , de Republic. L. 8. c. 8. n. 10. Wesenbec. Con-*

sil. 2.

fil. 2. n. 60. Wehner. *voce Behandlung.* Non autem de
 Principibus & viris Illustribus in specie dicā; sed in genere
 verum esse dubio caret, in promissione & transactione sti-
 pulata manu firmata fidē validē interponi, & per conse-
 quens eam juramento comparari. Idque in primis pro-
 eedit, si Notarius in Istrumento hæc verba posuerit: Sie
 hättens einander mit Mund und Hand zugesaget. Ipsæ
 etiam Sacra Literæ fidei, quæ manus porrectione roborata
 fuerat, fractæ eundem effectum attribuunt, quem violato
 juramento, hæcque duo conjungunt: *Ezech. XVII. 18.* Con-
 fer Stryck. sæpe laud. *Diss. de Manu stipulata, n. 38.* Et
 crebro reperitur ista formula: Mit Hand & gegebener
 Treue an Fides statt. vid. Göddæus, *de Contrahend. &*
committ. stipulat. C. IV. n. 183. Wehner. *voce angeloben.*
 p. 21. it. *voce Behandlung.* p. 47. *voc. Gelübd.* p. 159. *voc.*
 Hand-gegebener Treue p. 205. Besoldus *voce Schwei-*
ren / Speidel. eadem, & voce jurare, p. 159. Sed satis de Ef-
 fectu primo. Vel tribus tantum adhuc de altero, quem
Ortum vocant, seu de *Actione.* Obligatio enim producit
 Actionem; sed quæritur qualis ex promissione stipulata
 manu factâ detur? Respondeo, vel *Condictio ex c. i. & 3.*
X. de pactis, vel, si mavis, *Condictio ex moribus*, ad conse-
 quendum id, quod stipulata manu promissum fuit, vel ad
 damni reparationem, & ad illius, quod interest, præstatio-
 nem. Stryck. l. c. nisi forte Fides Manuaria negotiis acces-
 serit, principalem & peculiarem suam actionem habenti-
 bus, uti supra exempla adducta fuerunt. Cum enim Fidei
 Manuariæ semper insit aliquod pactum, inde quoque eas-
 dem, quæ ex pactis dantur, hic nasci Actiones oportet. Il-
 lud adhuc hoc loco quæri possit, quia Fidem Manuariam
 cum Juramentis comparari diximus, an, qui Fidem Ma-

nuariam violat, æque infamis reddatur ac ille, qui juratam frangit transactionem? ex l. 41. C. de Transact. Et respondeatur, quod non, quia nec omnes perjuros pœna infamiae manet, sed tantum violatores juratae transactionis, ad quos quoque terminos violati negotii stipulata manu firmati eadem pœna restingenda venit. Stryck. l. c. Gail. d. Obs. 59. l. 2. n. 4.

§. IX.

Plura dici possent, imò & deberent forte, in specie de *Contrariis & Affinibus*, si quidem mori recepto obsequi propositum esset; sed, quia facile hæc à quovis suppleri possunt, neque ego nunc, tempore abundo; igitur subsistō, & ei, in cuius nomine incepi, *Deo Triuni* pro præstito auxilio humilimas atque devotissimas gratias exsolvo.

COROLLARIA.

I. *Apertis Juris nostris fundamentis contrariatur, Conditionem furtivam dari contra heredes furis, ad quos ex refurtivâ nihil pervenit.* Quod ut A. 1709. in Disput. VII. Sicilimentor. ad Lauterb. Comp. Coroll. XI. & Admonitor. ad libr. XIII. ff. Groningæ Frisiorum sub Prædio Magnif. Dn. A. A. Pagenstecheri defendi, ita nunc idem tueor, quamvis dissentiat Lauterb. Comp. p. 210.

II. *Justitiam D. D. vulgo dividunt in universalem & particularem, quam divisionem tamen nulla Civili Romanorum Lege probari posse existimo.*

III. *Negotiorum gestorem regulariter ad culpam levissimam teneri, verius est.*

IV. *Pandectarum textibus!, per Institutiones, quatenus inter illas & has contrarietas lucide appetet, derogari puto.*

Dum Themidi servas verbis promissa manuque,
Ensertum dextrâ porrigit illa Tibi.
Qui studuit Domino tota confidere mente,
Eventus semper spes habet illa bonos.

Hinc Nobilissimo Domino Candidato, Fautori

suo honoratissimo, gratulatur

SIMON NICOLAUS ORTHIUS,
D. Prof. Jur. Cons. Hass. Darmst. &
p. t. Academiae RECTOR.

Was Uns das heil'ge Recht in Regeln furge-
schrieben/
Das wird von vielen zwar mit grossen Fleiß
studiert ;
Allein der feste Grund : Gott und den Nächsten
lieben /
Der schaffet/ daß man sich und andre wohl re-
giert.

Dem Herrn Candidato Wurm/

schrieb dieses zu Ehren

Johann Christoph Bielefeld /
Fürstl. Häffischer Ober-Kirchen-Raht/erster
Superintend. und Prof. Theol. Primarius.

Dexteritate *Fides monstras Manuaria quid sit,*
Sic animi dotes dexteritate probas.

*Ita Pra-Nobili DN. WURMIO de vita Academicâ cum laude
transactâ, & Honoribus ex merito conferendis ex animo
gratulatur*

BERNH. LUDOV. MOLLENBECIUS, D.
Consil. Hasso-Darmst. & Prof. P.

Qui

Qui studio Juris meritò tribuuntur Honores,
Hos etiam Pallas præparat Alma *Tibi*.

*Nobiliss. Domino Candidato, cum voto omnigenae
felicitatis, apponebat*

MELCH. DETHM. GROLMANN, D.
Consil. Haff.Darmst. & Prof.Jur.Old.

Moribus antiquis res stet Germanaque Virtus!
Juncta manus verbis fidei testatio priscis
Certa fuit, tantum, quantum Stipulatio pollens.
Pollet adhuc validè. Quod dum, *doctissime WURMI*,
Pluribus egregiè *Tua Dissertatio* monstrat,
Laudo bonum factum, Patriæ quô Jura tueris.
Priscus honos maneat; virtus stet præsca fidesque,
Et *Tibi* pro meritis Studiorum præmia cedant.

Ex animo Nobilissimo Dno. Candidato, Fautori atque Amico astutissimo, hisce applaudere, Eademque de instantibus novis Honoribus gratulari voluit

IMMANUEL WEBERUS, D.P.P.

